

# LECTORI

TAM BENEVOLO, QUAM MALEVOLO,  
SALUS EX FONTE SALUTIS,  
JESU CHRISTO.



Trabere forsitan, cur orbe doctissimis Libris referto, modicitas mea calamum scribendo applicaverit: dices & fortassis me Ulpam Aquilas sequi; idque eò certius, quòd nil sub sole novi, omniaque hodiernorum scripta rivulorum sint instar, ex fontibus sumptorum, quos aperuere Antiqui. Consentio lubens, te non omninò falsum effari, ideoque assevero: licere per me tibi, quidquid aut cogitare volueris, aut etiam dicere. Interim candidè aperio tibi pectus, cujus rationes aut aquo, aut livido oculo, aspicere, eodem tibi jure haud invitus concedo.

Movet me multorum, id instanter petentium amicorum, bene sentiens devotio, quibus suffragari in bono, quis vetabit? permovet beneplacita Superiorum voluntas, quorum nutus jussionibus adequantur.

Incitârunt me, ad motis calcariibus, desideria promovenda, pro modulo meo, gloriae Dei, & salutis animarum, tot passim, uti assuetis, ita parùm curatis, vitiorum procellis naufragantium; quibus auxiliatricem & quidem pro statu vocationis, conferre opem, quisquis accusarit, aut minùs cognoscere, aut fortasè non amare convincetur sublimem aeterni Verbi scopum. in quem omnes ejusdem & labores collimârunt, & doctrinæ, cum spiculis arumnarum ineffabilem.

Germanicè scripsi, ut luci publicæ exponerem latitantes in voluminibus Authorum gravissimorum doctrinas, quas passim maxima pars Fidelium non intelligit; qui intelligunt, voluminibus carent; qui habent, studio & voluntate, vel quibus utrumque ad manusest, germanizandi facultate, destituuntur.

Quod si laude digni forent, qui verbotenus, aut disertissimum Lanuzam, aut fecundissimam Mansi Bibliothecam, aut Paciuchelli, vel Stellæ, Carthagenæque, La Vega, Diez, & similibus gravissimorum Authorum opera vernaculæ darent; cur culpa.

culpabitur, qui, argumentosa instar apis, mel ex iisdem colligit, digerit, purificat, & vel multum impeditis, vel incipientibus Verbi Dei praecoribus, vel vulgaribus Christi fidelibus (quibus scripsi, non sciolis, & inflatis, vacua charitate scientia) ad non laboriosum, valde tamen proficuum usum distribuit? do honorem Authoribus, quibus usus sum, quorum celebriores nominavi; nil meum, nisi studium, Constructio, Germanismus: *Alius ex alio sapimus*, ait Clemens Alexandrinus Stromat. cap. 3. quis enim telas araneorum iudicet pretiosas, eo quod ex ipsis solis elaboratae, & quis viles imagines, Statuas, aut perizomata, quia ex subiecta materia fabrefacta sint?

Sedulo laboravi, ut praefixam in propositione materiam probarem solide, sine infructuosis extravagantibus.

Prolixas feci conciones; at non verbis, verum materiis probantibus, quibus multo facilis verba suppetent; ideoque non studui luxuriantibus phraseon lenociniis, aut aurium pruritus serviente figurarum copia, sed materiarum abundantia; partim quia ipse ego hisce indigeo, partim etiam, quia iudicavi meliores esse fructus cum foliis, quam folia sola sine fructibus, quae ornatui servant, non utilitati. Germanismo usus sum vulgari, qui rem pro materia qualitate explicet, magisque corda feriat peccatorum, quam mulceat aures profanorum, qui Rhetores audiri malunt, quam esse animarum Zelatores. Quod si extensio nimia accusetur, iudicio meo, melior est mensa dapibus referta, ubi cuiusque satisfiat appetitui pro seculo, quam illa, in qua paropsides vacuae, ornamentis refertae, palato plura, quam pauca proposita, esuriente. Divisae sunt in numeros conciones, nulla minores exhibet, quam decem; vix numerus sine nova probatione. Sedulo & studioso usurpatori tres quatuorve sufficient; reliqui restare poterunt pro dictione altera; nec alio ad id opus est labore, nisi pro novis exordiis; nil vero facilius quam facere illa, quippe quae adiophora & plane indifferentia esse possunt, tam iuxta sacra, quam profana Rhetorices regulas; modo debitus paretur ad propositionem ingressus. Indigentes dictione largiori, habebunt equidem, quod desiderant: vix adeo rudis, cui non facile una pro binis sufficiat. Si qui vero adeo molles, & studii otiores, ut velint desidia sua parari exilem cenam, quam jejuno gentaculo altera mox die Auditoribus rursus exhibeant, sine affectu, sine spiritu, sine fervore, sine desiderio profectus, Declamatores potius, quam animarum Curatores, quaerant qui ipsis servant; ego publica utilitati studeo, non privata, viris Apostolicis, non inertiae alumnis. Satis est: quibus displicet liber, ab iis negligatur: *Ego nulli volenti iussero aut legere, aut habere hunc librum*, loquor cum Drutmaro praefat. in Math. *Et si quis hunc detestetur, ordinet meliorem.*

Fabulas hinc inde adhibui, uti & Alemannicas Ironias; quia, me Iudice, & in populo vulgari (cujus major est numerus) per illas uberius fit fructus, per has vero vitia derisui exposita sensibilius efficaciusque carpuntur. Quod si qui emunctae naris Aristarchi Cothurnos austeriores pietati magis convenire iudicent, quam facetos subinde sales, carpant Clementem Alexandrinum, qui integrum librum fabularum scripsit,

psit, quas Apologos vocavit; carpant B. Raymundum Lullum, ex tertio Ordine Nostro Scientiarum omnium Phœnicem, qui, præter quinque magna de contemplatione volumina, conscripsit grande opus fabularum moralium, cui titulum dedit: *Liber Felix*. Carpant Augustinum ita loquentem in Libro contra mendacium: *Apud Authores sæcularium litterarum ut apud Horatium, mus loquitur muri, & mus sœla vulpeculæ; ut per narrationem fictam, ad id, quod agitur, verax referatur significatio. Unde & Æsopicas fabulas ad eum finem reatas, nullus eruditus fuit, qui putaret appellanda mendacia. Hæ & in sacris libris, ut in libro Judicum, cum ligna sibi Regem fecerunt, & loquuntur ad ficum, & ad vitem, quod totum fingitur, ficta quidem narratione, sed veraci significatione hæc dicuntur.* Legant Seraphicæ Virginis & Matris Theresiæ opera, & Jovialem ejus indolem, sæpè manifestam, sapiant, melancholicæ severitatis, & suis in Monialibus, persecutricem. Legant Sedulium de S. Jacobo de Marchia in ejus vita testantem, quod, pro innatâ indolis lææ hilaritate, sæpè facetis leporibus è suggestu suos delectabat Auditores; sicut enim abusum indè scire, Histrionum est, ita prorsus spernere, Stoicorum.

Orthographiæ, cum in nulla lingua mundi minùs constans sit & ordinata, quam in Teutonicâ, & cuius fermè sapere liceat, quod libet, ego restituendæ, vel emendandæ, Auctorem me non propono; ut tamen pluribus miraturis faciam satis, indico: quod in plerisque celebriorum Germaniæ Dicafteriorum emendatiores scribendi formas imitari studuerim, signanter verò genuinam exprimendi methodum, quam qui nescit, nec scribere orthodoxè poterit. Fateor multa multorum beneplacito relinquenda, ut abundet quisque in sensu suo: Inficias tamen nemo æquus rerum arbiter ire poterit, magnum coram alienis nationibus Germanicæ gloriæ dedecus inuri, cum passim libri, sine ulla rerum ponderatione, ad eò multis scateant cacographiis, ut nulla vel nominum differentia, vel scripti cum expressione concordantia, observetur, grexque gregem sequatur, ovium instar. Modicum adjicio schema, quod tamen non velim pro regula dari aliis, sed pro tutela mihi servire, si visus fuero declinasse hinc indè à vulgari Orthographiæ, signanter inferioris Patriæ, methodo. Si enim ad rem non faciat genuina litterarum constructio, quomodo faciemus hæc inter verba, totis non modò speciebus, sed & generibus sæpè differentia, distinctionem?

Haab habeo, Haab bona; gab dabam, Gaab donum; Haas lepus, Haß odium; Schlaf somnus, Schlaaf mancipium; Bahn semita, Bann excommunicatio; war verum, Waar Merces; Wage tenta, Waage trutina; Heerd focus, Heerd turma; Leyen tegulæ, Layen Laici; Seit latus, Sait fides; Leyin fiscus, Laym lutum; Lehr doctrina, leer vacuus; fehlen errare, fällen decernere, sternere; schlaiffen trahere, schleiffen acuere; Eyuge, Uy ovum; leyder pro dolor, Laiter scala; nagen rodere, Nachen Navis; kan possum, Kann cantharus; Herr Dominus, Heer exercitus; Aug oculus, auch etiam; genehme grati, neinne accipe; arm pauper, Armm brachium; Straf supplicium; Uff simius,

simius; **S**chaaſ oves, ſchaffe procura; höſlich urbanus, höſſlich aulicè; ligen  
 jacere, liegen mentiri; **L**amm agnus, lahın claudus; **L**amp lampas; fliehen/  
 vitare, fliegen volare; verſchnaufen respirare, verlaufen erumpere, evadere;  
 rufen vocare, ſchnuffen nafalizare; am erſten primò, erſte **U**hm Weins ahma  
 prima vini; man ſagt dicitur, ein Mann ſagts vir dicit; **S**ohlen planta, ſollen  
 debere; wollen velle; **M**ond luna, **M**onath mensis; zehn decem, Zehn art:  
 culi pedum; wohl benè, **W**oll lana; looſ gehen tardè incedere, loßgehen inva-  
 dere; **S**chooſ gremium, **S**choß virgultum; **B**ett lectus, **B**ethel civitas; ſeyt  
 eſtis, **S**eyd ſericum; taub ſurdus, **D**aub columba; **T**ag dies, **D**ach tectum;  
**L**ot Patriarcha, **L**oth ſemiuncia; reißen lacerare, reißen proficiſei; geſtoſen con-  
 tuſum, zerfloſſen liquefactum; weiß ſapiens, weiß albus; **N**aas naſus, naß li-  
 quidum; **R**ooſ rota, **R**oß equus; **F**uſ pes, **S**chluß conclusio; **G**eiſel obſes,  
**G**eiſel flagellum; **R**ath conſilium, **R**adt Rota; ſtatt locus, **S**tadt civitas,  
**S**tatt magnificentia; **R**ed ſermo, beredt eloquens, **P**reyß pretium, **P**reis ho-  
 nor, gloria; **W**apen Signum gentilitium, **W**apfen arma; **B**uſ pœnitentia,  
**F**luß fluvius.

Hæc pauca obvia ſelegi ex millenis, è quibus liquidò patere poteſt, cuilibet vel te-  
 nuiter verſato, in orthodoxa Germaniſmi expreſſione, plurimum referre, ut obser-  
 ventur litteræ; nec ſatis eſſe, ut ſimplex pro duplici, vel duplex ponatur pro ſimplici,  
 niſi quid pro quo velimus indicare, & ſemper cogere, ut Lector ad ſenſus intelligen-  
 tiam recurrat. Obſervatur id jam longè exactiùs in celebrioribus Germaniæ, ſignan-  
 ter ſuperioris, **D**icaſterii, è quibus paſſim eliminantur exotici quidam, & vitioſi  
 vulgaresque ſcribendi modi, **E**xempli caſa: **u**m / **w**arum / **d**arum / **B**eweiſe-  
**tum** / **ic**. ubi **h** utpotè littera, non modò ſuperflua, ſed & alterativa, omittitur,  
 cùm ſuum ſufficienter tenorem det hic ſcribendi modus cum expreſſione: **h** verò addi-  
 tum, ſuperfluum ſit, quia non exprimit, uti patet in hoc verbo **plumb** / ubi de-  
 bitam dat expreſſionem, quæ in aliis foret vitioſa, **I**tem **F**rau / **e**uer / **ic**. non **F**rau /  
**e**uer: cùm prior litera **u** ſimpliciter ſatis & nitidè verborum explicet ſignificationem,  
 duplicata verò aliter longè exprimenda ſit, uti patet in verbis illam requirentibus:  
**v. g.** **w**iegen / **W**ein / **e**wig / **W**arheit **ic**. ubi **u** ſimplex foret vitioſum.

Paſſim etiam apud plures aliter ſcribi ſolent verba remotentia, ſignanter, cùm ni-  
 hil poſitivi ſignificant, **v. g.** loco **u**n / **o**hn **ic**. **o**hnmöglich / **o**hnwiffend / **o**hnver-  
**ſtändig** / **o**hnlängſt / loco **u**nmöglich / **u**nwiſſend / **u**nverſtändig / **u**nlangſt /  
 aſt quia utrumque videtur & bene dici & ſcribi, utroque modo utens non variabit  
 ſenſum, nec ſuſcitabit Cacophoniam, nec Heterographiæ reus erit.

Si in decurſu Libri errata reperias, vel verba quædam non conſtanter expreſſa, ad-  
 numerabis erroribus Typographicis, vel accelerationi nimium occupati reviſoris,  
 cùm de meo hoc levidenti opusculo, multò veraciùs confiteri & velim & debeam,  
 quòd de omnibus, etiam graviffimis operibus, magnus aſſerit **Auguſtinus de Civit: Dei**  
 1, 9,

l. 9. 27. *Multi esse in omni opusculo, quae justo iudicio, & nulla temeritate culpari possunt, nullusque reprehensor formidandus est veritatis amatori.* Hinc & ego à prudentibus emendari, quàm ab imprudentibus laudari malim.

Prolixior fortè videbor fuisse, quàm rei pondus exigat, at quia jam à tempore editarum à me Synopseon hujus opusculi expertus sum, multos esse, post editum verò opus suspicari possum longè plures fore, qui (ut loquar cum D. Hieronymo in Proemio ad Chronicon Eusebii) solitâ libidine detrahendi omnibus, quod vitare nemo potest, huic operi theoninum dentem infigent; calumniabuntur enim tempora, invertent nomen, res arguent, syllabas ventilabunt, quandoquidem pauca admodum, Senecâ teste, sunt sine adversario; hinc mihi æquum videbatur justo rerum libratori rationes reddere, unde vel à præcoci censurâ præpediri, vel ad charitativam mei informationem animari possit, quam semper acceptare & paratus sum, & amicas referre gratias meliora scienti ac docenti.

Cùm verò & sint, qui solâ invidiâ, & pruritu ducantur carpenti, nil reputabo miri, si ego modicissimus rosos habuero, fortè & detractores, cum magna mundi lumina, & momos suos habuerint, ut ait doctissimus Guevarra ex Ordine nostro Episcopus Mondonensis, Caroli Quinti Bibliothecarius, & Ecclesiastes aulicus, in Horologio principum, in vita Marci Aurelii. Subjiciens igitur omnia infallibili S. Matris Ecclesie iudicio, hoc modicum & tritum simili de fursure Zoilorum ac momorum oculis, auribus, cordibusque oppono;

DEO FAVENTE NIHIL NOCET INVIDIA;  
ET NON FAVENTE NIHIL PRODEST MEUS LABOR.

Ergò Lector Christiane, sinaverit mihi, ut spero Deus, viresque cum sanitate misericorditer indulserit, & labor hicce meus Dominicalis profuerit tibi, & invidis frustra displicuerit, adjicietur opportunè in Festa opus Pænegyrico-morale, &, Cælo propitio, subsequenter cum tempore plura præmeditata. Tu interim hoc utere, fructe, fave, vale, Deumque pro me exora, ut sim sicut Scriba in regno Cælorum, qui non modò doceat, sed & faciat.

Am